



(1. = Dll. j. - am Fe 1253 sp. Div.)

00

Die angeb. Schriften v. F. H. L.

Re

Z 10  
Gu

3

# PSALMI DVO IN SIGNIORES, SPIRITU PLANE PROPHETICO DE PAS- sione, morte, & resurrectione Christi Iesu, e- iusdemq; sacerdotio ac regno, à Davide de- cantati, quorum testimoniis, & Evangelii- stæ, & Apostoli ipsi, usi fuere.

*Expositi partim carmine hexametro dactylico  
heroico, partim alterno, dactylico hexametro,  
& jambico trimetro.*

a

GREGORIO BERSMANO ANNÆ  
berg. Paraphraste.

Vnà cum Psalmo LXIX.

Orationem continente Christi in cruce, & la-  
mentationem de gentis suæ crudelitate, ex-  
positam ab eodem metro Alcaico & Archis-  
lochio.

---

SERVESTÆ,

Excudebat Zacharias Dörfferus, Anno 1611.

ILLVSTRISS. ET PIENTISSIMO PRIN-  
cipi ac Domino,

Dn. JOHANNI GEORGIO,  
PR. ANHALTINO, COMITI A-  
SCANIAE, DOMINO SERVESTÆ AC  
Bernburgi &c. Domino ac <sup>eu</sup>rege <sup>g</sup> S.  
clementis.

*Specimen hoc Recensionis sue Psalmorum Davi-  
dorum decennalis, subiectis. cum reverentia offert auctor.*



urn:nbn:de:gbv:3:1-464629-p0004-1

PRÆCINENDA SVPER AV=  
RORÆ CERVA, CANTIO

Davidis.

PSAL. XXII.

Deus, Deus meus respice in me, &c.

- ¶ **N**ec cur me, D E V S, abjectum; cur mi D E V S, omni  
Deseris auxilio cassum, dubiumq; salutis?  
Abiitensq; procul, lamentis surripit aures?  
Seu me, namq; dies radiis adspexit Eois,  
Ad te mané preces, Deus, & vota irrita fundo:  
Seu surripit afflavit equis nox; nocte querellas  
Extendens, gemitu sopitis obstrepo terris.  
¶ At tu, quem sancte custodem vendicat urbis  
Isacidum genus, ac votis veneratur & aris,  
Sanctus es, atq; tua deus & fiducia gentis.  
¶ In te spem nostri quondam posuere parentes,  
Nec vanâ posuere fide: spem namq; parata  
Auxilium prævertit opis. Te voce citabant,  
Tus facilem præbes te voce citantibus aurem:  
Ipsorum te freta fuit spes vindice; freti  
Vindice te, te maculis non erubuerre repulsa.  
¶ Hec patrum fortuna fuit: mea durior illis  
Sors est, non hominis qui dignus nomine, vermis  
Audio, ludibrium volgi, risusq; taberna;  
Insultatq; meo paßim quaturba dolori,  
Et ronchos crepat, & distorquet labra cachinnis,  
Et motans caput, his acutis garritibus iras:  
¶ Inunc, & carum te lehova, bujusq; sub alio

A 2

Inco-

Incolunem jacta. Quidni? sic ille periclis  
Eruat, ac leui discrimine servet amicum,  
Tam placitum sibi, tam dilectum ex omnibus unum.  
Tam gratum ante alios, si fert ita forte voluntas.

9 At tua me manus extraxit genitricis ab alvo,

Tu mea lactenti nutrices ore trahentis,

10 Tunascentis eras spes & solamen; in oras

Luminis emissus, tibi pectori totus adhesit;

Pappanti te voce Deum patremq; vocavi.

11 Ne te igitur, me deserto nunc, rebus in arctis:

Cum praib; mihi nullus ope est, te subtrahere, praeiens

Auxilium poscente malo, quod comminus urget.

12 En arctum stipant latus, hinc conferta boum viss;

Hinc, membris & mole valens, me circuit agmen

Taurorum; rictus reserantum immanis hiatum,

Herbida vix quanto Basana pascua carpunt;

13 Quanto hiat esurie in predam dira leonis.

14 Qualis aque fusus manat liquor, omne liquari.

Et succi videas tabescere flumine corpus.

Genua labant artusq;, jugi compage solutæ,

Delicuitq;, instar cerea, cor pectoris imo.

15 Quæ pridem fuerat, virtus exaruit omnis.

Limus ut, in testam qui multo induruit igne.

Haret lingua siti torpens, arente palato;

Iam tumuli injectio videor mihi pulvere mersus.

16 In me turba canum rapida ruit ocyoꝝ aura,

Ac crudos lacero confert in corpore dentes.

In me avidi cadiſ conspiraveré manipli,

Atq; manus clavi ierebrarunt are pedesq;.

17 Iam loca vulneribus defunt: iam, carnis amictus

Pertuso plagiꝝ, apparent ossa tuentis;

Detectæq; micant venaſ salientia possit.

Visce-

- Viscera, cum tremulis numerare in pectore fibris.  
 Nec tamen his expleta animum truculentia paenit.  
 Post absunta in me cessat tormenta dolorum:  
 Quin, s'vo spirans immitem corde furorem,  
 Diro oculos pascit spectaclo, lata malorum.  
 18 Nec modus: ah, divisa mea post tegmina vestis,  
 Sortitus tunica & galea accipit impia nostra.  
 19 At tu, qui cuncta obtutu lustrasq; regisq;  
 Ne, cunctatus opem, mea vota morare, lehova,  
 Spes inopis roburq; Deus, ne, queso, recedens  
 His à me dextram iactato fuctibus aufer.  
 20 Tu ferrum huic defende anima gladijg; furorem,  
 Vimq; canum prohibe deserta, viribus orba;  
 21 Tu vastas rabidi fauces compescere leonis,  
 Fulmineumq; fer & cornu contunde minacis.  
 22 Sic opis inse tua & sospes tutamine, nomen  
 Ad fratres memorabo tuum; meritumq; fidemq;  
 In sacri media catus celebrabo corona;  
 23 Vos, inquam, cultus quos tangit cura Iehova,  
 Isacigenus, & protes generosa Iacobi,  
 Celo aquate Dei famam, ac præconia laudum,  
 Laudibus & sanctum Domini sociate timorem.  
 24 Haud opis ille sue namq; aversatus egentem,  
 Abjecit curam affliti, volvumq; removit:  
 Sed prona babit aure preces & vota gementis.  
 25 Hinc mihi materies, hinc carminis argumentum;  
 In tua, sancte DEVS, nascetur facta diserto.  
 Me præsente, tuas, conventu plena frequenti  
 Sanctorum, laudes Ecclesia grata sonabit:  
 Vota tibi solvam, cætu appludente piorum.  
 26 Ipsa sacris quoq; turba inopum, miserabile volgus,  
 Qui casto indagant pietatis amore Iehoram,

Vescetur dapibus , feretisq; ante ora paratis :  
Ipsa epulis perfuncta tuis , potusq; refecta ,  
Te vita canet artificem , auctoremq; salutis ,  
Æterne consors vita , composq; salutis .

27 Huius ad exemplum , meritorum gnara lehova  
Atq; memor tellus , à vespere Solis ad ortus ,

Ad nomen conversatum cum gente nepotum ,  
Te venerans , pacemq; petens , tibi brachia tendet ;

28 Quem penes est celi terraq; , lehova , potestas .  
Qui regis imperij hominum res atq; Deorum .

Te flexo orantes agnoscunt poplite regem .

Et , quos ampla beat numerofo copia censu ,

Et pecora , & colles , & gleba divitis uberi ;

Et , qui pauperie rebusq; laborat egenis ,

Informis squalore situs , & pulvere terra ;

Et morti , iamjam vista fugiente , propinquus ;

Accumbent epulis pariter , pastuq; fruentur

Vivisico , sacra recreati nectare cana .

29 Hoc sancto facient suboles imitamine pastrum .

Et natinatorm , & quinascentur ab illis ,

Cumq; his in sacrum quos census miscrit album ,

Te Deum adorantes pariter , regemq; canentes .

30 Qua tibi debetur soli , meritòq; refertur ,

Iustitiam , Deus alme , tuam , meritumq; salutis ,

Narrantes populo , quem postuma proferet etas .

Segmentum

# Segmentum sive Monile aureum Davidis.

## P S A L. XVI.

Conserua me Domine, &c.

1. **N**umine fixa tu o spes est mea, conditor aevi;  
Ne me spes fallat numine fixa tuo;  
Me tibi confidum serva, defende, guberna.  
O vita columen praesidiumq; mea.
2. Hec mecum versans, simul ore, lehova, ferebam,  
Et meritò: solus tu mihi namq; Deus.  
Te solum veneror, te pendo totus ab uno,  
Sed meritis par est gratia nulla tuis.  
Ecquid enim auctori rerum, fontiq; bonorum,  
Pro merito reddi, me tribuente, queat?
3. Pro sanctis ergo, tibi debita, præcipuiq;  
In terra, solvet mors subeunda mihi.  
His sunt delitiae, mea sunt hi gaudia soli.  
Quorum sancta nitet cum pietate fides.
4. At, quos victa juvat sedari numina divum,  
Oblitos casta religionis opus:  
Hos dolor arumnaq; graves post terga sequuntur,  
Solis ad Eoas Hesperiasq; plagas.  
Quoq; via fuit emersum plus, amplius ipsis  
Hoc vita attrivit, cura laborg; comes.  
Excror iſlorum sacra, cæde natantia multa.  
Et largo madidas sanguinis amne dapes.
5. Nec, questula colit falsa pietatis imago,  
Vsurpabo meis nomina feda labru.  
Nempe, lehova, mihi pars es demensa bonorum,  
Tu mihi frugiferi sufficiis uber agri.  
Tu me, legi imisori itum heredis honorum,  
Dvitius auges, munere largus opum.

Quam

6. Quam preclara mibi cecidit fors ruris armeni,  
Omnigeno pascens lumina flore mea!  
Cui mirata suas non certent Gargara messes,  
Nec Pelusiaci pinguis a culta solis.
7. Hinc te laude, Iehova, feram, tibi carmina pangam,  
Sancte parens, grata carmina mentis opus.  
Qui me consiliisq; tuis monitisq; gubernas,  
Erudiens renes nocte silentem meos;
8. Arcanoq; ciens intus præcordia motu,  
Ut legem accipient ritè subacta tuam.
9. Ante, Iehova, mihi est oculos, quem lumine seruo  
Immoto, obsequiis de venoror q; meis.  
Dum latus ille suo prestò mihi numine firmat,  
Haud me precipitem vis dabit ulla mali.  
Impavidum ferient celi terraq; ruina,  
Ut fractum immensi corruat orbis opus.
9. Hinc mihi latitia pertant gaudia mentem,  
Que plausu ingeminat emula lingua suo.  
Sustentatq; meum, spes & fiducia corpus,  
Securum adversus lurida tela necis.
10. Quod tellus quamvis tumulo contexerit arcto,  
Haud imo clausum condet avara sinu.  
Nec demersa sines ut degat vita sub Orco.  
In leges intrans mancipiumq; necis:  
Aut, cum carne, anima vis ut labefacta quiescat,  
Ac tuus in cineres sanctus ut omnis eat.
11. Tu vita mihi pandis iter, calleq; salutis.  
Ut rectâ pergam, te præunte, viâ.  
Letitiaeq; tuo labuntur flumina voltu,  
Vbere eu fundis gaudia plena manus.

Præcim.

Precinendum ad rosas Davidis.

PSAL. LXIX.

Salvum me fac, Deus, quoniam intraver. &c.

**N**unc me, Deus, nunc dextra opifex tua  
Serva labantem, teg moræ eripe,

Dum gurgites sorbent aquarum,  
Vorticibus caput hoc, retortis.

2. Iam me profunda lama voragine

Aufert, abyssus iam pedibus solum

Subducit imis, atque vasto

Obruit unda vorans hiatus.

3. Clamore torpens raucisona stetit

Vox fauce; servant lumina dum tuam

Hæc adjuvantis me salutem,

Diriguere acie irretorta.

4. Sylvam pilorum, qui caput induunt,

Est expedire promptius, hostium.

Qui non merentem odere acerbè,

Quam tabulis numerum referre.

Quorum luenda est improbitas mihi,

Et noxa fraudum; fraude licet vacem,

Noxaq; nec consors rapina;

Rape a tuam sine fraude partis.

5. Num quid patrârum stultitia, Deus,

Tu nempe nosti, quem nihil omnium

Hoc præterit sub orbe rerum,

Quem mihi flagito cognovem.

6. Me, o lebava, sortis imagine

Non erubescat gens hominum pia:

Non illate fretis probro sit,

Armipotens Deus Israëlis.

7. Te namq; propter criminibus premor,

Ruborg; voltum dedecoris notat:

B

Nec

8. Nec fratribus noscor, meaq;  
Nausea sum suboli parentis.
9. Hec nempe zelo debeo, qui tuæ  
Me rodit adis, dicta tibi probra.  
Me lancinant, in me currunt  
Ticta tuo probra cum pudore.
10. Hinc ille moror, hinc lacryma mihi,  
Et tetra volitus larva famelici,  
Quam ridet hostis, sacculig.  
Indivitas agitat, protervus.
11. Garrire de me porta frequens avet,  
In mœque singit carmina, poculis  
Taberna nocturnis madescens,  
Atque mero fluitans diurno.
12. Ichova, tantu ferre preces malis  
Ad te, salutis ſe propero meæ:  
Me, veritatis pro favore,  
Prò que tuæ bonitatis, audi.
13. Quàm merger, alto me prius extrahē  
Limo: nec hostis dede libidini  
Me persequenter, ne malorum  
Gurgite merger inops manum da.
14. Ne fluctus undis me voret ingruens,  
Torto barathrum gurgite sorbeat,  
Sorpturq; subitus me vorago  
Ore recondat hunc irepando.
15. Me me, Ichova, respice; quod tui  
Spondet favoris gratia, ne ut eu
16. Absconde voltus à ministro,  
Atque meo fer opem labori.
17. Accurre, vita ò præsidium meæ,  
Atque hostium me, quod potes, eripe
18. Immanitati; probra quorum  
Et maledicta, quibus vacantem

Culpa

- Culpa lacessunt, cuncta patent ibi:  
20 Filis audiendis cor mihi liquitur.  
Marore tabescens, anhelo  
Consciturq; doloris assu,  
Hac ruminando: cum neque quo potis  
Est inveniri, quem miseratione  
Tangat mei; nec qui mihi agrum  
Alloquio relevet dolorem.  
21 Meselle pascunt; queq; stimulent  
Areni, aceripocula ferrigunt.  
22 O juste vindex, qualis esca  
Illaqueat miseris volucres;  
Sic vixtus illis tendiculas paret;  
Letumque, pacis munera conserant;  
Immo, unde pacem polluentur,  
Pulluleat alta seges malorum.  
23 Ne recta cernant, luminaq; nigrae  
Fuscent tenetra: deficit vigor  
24 Elumbe corpus, ultionis  
Ira tua premat hos, furorque.  
25 Stent inquilinis orba palatia,  
Non sit parentum tecta habitans nepos,  
Natusve: cladi mancipata,  
Clade ruat domus universa.  
26 Hunc namque, pennis quem tibi duriter  
Multare visum est, acriter impetunt.  
Verbisq; acerbant insolenter,  
Et misero cumulant laborem.  
27 Fac culpa culpam, fac felus urgeat  
Delicta peccantium venia carens:  
28 Expunge viventum e tibello  
Nomina, non socianda iustis.

- 29 At ipse puper sim licet & dolens ;  
Compos salutis , munere opis tuae ,
- 30 Te glorioso cantionum  
Munerer rite remunerabor.
- 31 Quo non Iehovae , sacrifici cadet  
Dextrâ , juvenci victima gratior ,  
Clavâ minacis unguilarum ,  
Cornibus & geminis ferocis .
- 32 Sic qui requirunt auxilium Dei ,  
Pendentq ab illo spe , precibus , fide ,  
Hoc recreati exemplo ovabunt ,  
Latitiq frement , recepti
- 33 Leto : Iehova vindice , qui preces  
Audit precantum , nec vacuos opis  
Dimittit , addictos catenis ,  
Atque sue dubios salutis .
- 34 Hunc ergo celi , terra , maris sinus .  
Laudent , & horum qua capit ambitus ,  
Mortalium proles , volantum  
Cum genere , & pecudum , ac natantum .
- 35 Laudent , Sionis qui jugaprotegit ,  
Iudeg cingit mœnibus oppida ,  
Et rura metatur colonis ,  
Secula qua teneant nepotum .
- 36 Qua possidebit , numinis illius .  
Cumpace cultor , jure pecuti ,  
Mansurus illic , posterorum  
Cum subole innumerâ per avum .

F I N I S.

AB:153133

Schlossbibliothek  
Köthen-Anhalt

ULB Halle  
002 045 818



3


TA - 02

R

VD 17



## Farbkarte #13



B.I.G.

3  
**M I D V O**  
 D R E S , S P I R I T U  
 P H E T I C O D E P A S -  
 e s u r r e c t i o n e C h r i s t i I e s u , e -  
 t i o a c r e g n o , à D a v i d e d e -  
 t e s t i m o n i i s , & E v a n g e l i -  
 A p o s t o l i i p s i , u s i  
 f u ê r e .

*ermine hexametro dactylico  
 alterno, dactylico hexametro,  
 ambico trimetro.*

*B E R S M A N O A N N A E*  
 ; Paraphraste.

*Psalmo LXIX.*

*ante Christi in cruce , & la -  
 de gentis suæ crudelitate, ex -  
 dem metro Alcaico & Archi -*

---

*R V E S T A E ,*  
*rias Dörfferus, Anno 1611.*